Quelle: https://manuscripta.at/?ID=38126
Copyright: Salzburg, Erzabtei St. Peter, Benediktinerstift, Bibliothek

…citer illi qui tali defectu perficiunt quodammodo enim qui multum desiderat languescit & deficit donec optata uel quaesita reperiat. XXXI.

Leua eius sub capite meo & dextera eius amplexabitur me. Nam ipse salomon in alio loco in prouerbiis ait. Beatus homo qui inuenit sapientiam & qui affluit prudentia. Longitudo dierum in dextera eius. & in sinistra eius diuitiae & gloria. Ac sic electa Christi ecclesiam sinistram habens sub capite temporalia sibi subiecta scribit. Ad dextera autem eius amplexari dum aeterna concupisci edocuit. XXXII.

Adiuro uos filiae hierusalem per capreas ceruosque camporum ne suscitetis neque euigilare faciatis dilecta quoadusque ipsa uellit. Filias hierusalem sanctas & pacificas doctorum animas dicit. quas pro munda & uelocia animalia quae ruminare non desinunt & in campis sanctarum scripturarum aluntur. Coniurat ne suscitare faciant dilectam donec ipsa uellit. Quod paulum apostolum fecisse cognoscemus cum uirginibus de conseruanda sanctimonio non praeceptum sed consilium dedit. Et in euangelio diuiti dicit. Si uis perfectus esse uade uende omnia quae habes & da pauperibus. Et alio loco ubi spadones illi laudantur. qui ipsos castrauerunt propter regnum caelorum. Et statim dicit qui potest capere capiat. Et iterum apostolus cum ad continentiam fideles hortatur pro hoc